ſcilicet, adhortabatur admonitione iuſta Regem:
Non licet tibi habere vxorem Fratris tui. ~~Per~~
Prô ſuperos quid his verbis ſanctius, quid lenius,
quid iuſtius? Ecce ſeptem verba, verba veriſſima,
verba ſanctiſſima tulere ceruicem Joannis Bapt.
Miratur forſan adhuc aliquis, et difficilem dictis me-
is adhibet fidem, admirationem tollam, fidemque veſtram
mihi capiam. Quis, obſecro obteſtorque Auditor.
(tardam et imbecillem ad id quod ~~dico~~ dicere
nitor linguam meam inuenio = pergo tamen) quis
iuſtiſſimo iuſtiſſimum, quis ſapientiſſimo ſapientiſſimum
Creatorem noſtrum, Redemptorem noſtrum, Seruatorem nostrum
Christum Dominum à libertate ad captiuitatem et vin=
cula, à vinculis ad carcerem, ad carcere ad diras
flagellorum plagas, à flagellis ad ſpineam coronation=
em, à ſpinis ad crucem, et ipſam mortem, et mor=
tem ignominioſiſſimam abripuit? quis? lingua, imo
lingua; lingua iuſtiſſima ſemper loquens, vtiliſſima
ſemper ſuadens, prudentiſſima ſemper docens, quæ vel
tunc apparuit, (quando interrogatus à ſummo Pontificum
an Dei filius eſſet, diceret: Ego ſum, vt blaſ=
phemus, atque morte digniſſimus a toto ſynedrio, ô